



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**De Rebvs Iaponicis// Historica// Relatio,**

**Froís, Luís**

**Moguntiae, 1599**

**VD16 F 3085**

De Residentia Firandensi.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64472](#)

solatioꝝ vitam traducere. Et quoniam vehementer opto prope Ecclesiam sedem figere meam : etiam atque etiā R. V. obtestor , vt omni studio enitatur in eo voto facere satis. etsi enim quia filia sum Francisci regis , multis obnoxia sim æruminis,tamen idcirco non patiar animam meam perditum iri. Voluptates, deliciasq; corporis parui facio. ad solas animi epulas & consolationes anhelo. Dum sub R. V. tutela patrocinioq; sum, nō admodū sollicitus sum de consanguineis,nec ullam in ijs fiduciam colloco. Certa sit, me potius morituram, quam in domum alicuius gentilis vñquam pedem illaturam: quo circa iterum obsecro, omne in lapide moueat, vt ad istas partes vestras immigrare possim. Huc usque epistola. Paucis diebus post exaratum hanc epistolam , diuina suggestente sapientia factum est, vt tam mater, quam filia in agrum Nangaschanum venerint , vbi nunc cum magna sua consolatione versantur.

## DE RESIDENTIA

*Firandensi.*

**F**IRANDI agunt duo è nostris , alter Pater, alter frater, qui multo sudore vineam illam excolunt, quæ etsi magna non sit, (Dominus enim eius est à Christiana religione omnino alienus) est tamen in multas partes & insulas distracta. Sudorem auget visitatio Ecclesiarum in Goto, quæ plus quam nonaginta miliaribus à Iaponia absunt , & ager Facatanus. Quanquam hunc laborem non parum imminuunt ipsi Firandenses , ut pote qui antiquitate, feroce, & rerum diuinorum notitia cæteris Christianis longè præ-

præstant. Magno in pretio habent sacramentū Confessionis & Eucharistiæ, non veteres modo, sed etiam noui Christiani, qui aiunt, se dum adhuc gentiles essent, cognouisse, quam sacramenta illa necessaria essent ad salutem. Apparuit id in Domina quadā Christiana Toni Firandensis nepte, cui cum post quinatum à baptismo suscepto mentem, usurpandum esset Cōfessionis sacramentum, ad ineundas sacras nuptias, peccata sua tanto animi sensu, iudicio, ordine Sacerdoti patefecit, ac si multos iam annos inter Christianos vixisset.

Confessiones hoc anno factæ, plus minus efficiunt numerum trium millium trecentorū & septuaginta. Cōmunione vñi sunt centum octoginta supra mille. idq; non solum per Quadragesimam, sed etiam nascentis Christi ferijs: ac facerent frequentius, si ijs permitteretur. Ex adultis sacro baptismate iniciatis numerauimus 162.

Filius huius Toni Firandensis natu maior, quamvis Ethnicus sit, tamen cum à natura sit in virtutem propensus, & Christianorum mores non improbet, breui creditur ad Christum accessurus: maximè quod speretur, secundum Iaponię morem Pater eius & domini, & gubernationi Status renunciaturus. Hic iuuenis matrimoniuū iniit cum Domina, nomine Donna Mitia Domini Bartholomæi filia qui fuerat Omuræ Dominus: quæ etsi, vt habitat inter gentiles, nec copiam crebram habet Patrum, multisq; iam annis nec concionem vllam, nec sacrum audierit, tamen infide&veræ pietatis cultu constantissima est: sic prorsus, vt vna cum fæminis ancillis suis, quæ omnes ferent Christianæ, operam omnem nauet, ne quicquā

P 3 de fer-

de feroore & deuotione, quā olim in cibis paternis  
exercuit, detrahat. Quotannis enim confessionis faci-  
endæ causa Patrē adūocat in domū suam. nulla enim  
Firādi post inchoatam persecutionē mansit Ecclesia:  
&, quories fieri potest, etiam frequentius confitetur.  
Cum verò aliquando Patrem euocasset summa luce,  
& illi videretur potius in nocte expectandum, ne per  
urbem medium transiens agnosceretur, aut à locero  
repulsam pateretur, respōdit se dedita opera id feci-  
se, ut omnibus constaret, ipsam non nomine tantum  
sed re quoq; ipsa esse Christianam.

Gotani Christiani quotannis semel visitantur, non  
sine fructu, sed labore ingenti, eo quod Insulæ illæ in  
varias partes sint diuisæ. Gens natura est humana &  
facilis. Atq; hac extrema visitatione multi gentiles,  
ijque honorati aures præbuere Euangelio: nec aliud  
expectatur, quam vt Tono Christiano ex Corai re-  
uerso multi ad Christi gregem adiungantur.

Facatani hoc anno visitari nequeunt, propter Do-  
minum ditionis dictum Cobæicaua summum Chami  
& Fotochi cultorem, & sanctæ religionis nostræ ho-  
stem. Quotquot autem Christiani vel in urbe Faca-  
ta, vel in vicino agro versantur, admodum firmi &  
constantes sunt in fide, multosq; gentiles iam per-  
mouere, ut Christo nomine dare ex animo velint. Cum  
verò Christiani Facatenfes cognouissent Patres ad se  
non venturos, multi longa itinera suscepere, vt ipsi  
inuenirent aliquem Patrum. Excellunt operibus ca-  
ritatis, ordinariè enim in cōmune conferunt elemo-  
synas, quas postea erogent in pauperes. Et quia non  
ignorant Patres, qui villas, agrumq; Omuranum  
obœunt, magnam pati rerum omnium penuriam, ob-  
egesta-

egestatem Christianorum ibidem commorantium, Facatani, quantumuis 14. aut 15. leucis disiuncti omnia ad victimum, vestemque necessaria sæpenumero illis transmittunt.

Christianus quidam, qui iam olim ex amentia resipuerat, & multis annis iudicio perfecto usus fuerat, in usurpandis sacramentis, audienda Missa & alijs similibus, hoc anno in summam recidit mentis vesciam, sicut omnia idola Chami & Fotochi in fani Ethnicorum inuenta ad terrâ afflixerit, fune ad collum ligato foras traxerit, adiunctis multis probris & contumelijs, & alia multa confregerit & euerterit, nullo tamen damno hominibus illato. Gentiles rei indignitate commoti, mox scripsere ad eiusdem patriæ homines Christianos, percunctantes, num serio & ex industria hæc ab homine facta essent, & si ita esset, scirent se eum ad necem rapturos: sibi admodum probabile videri tam irenominiā diis suis sine consensu Christianorum inferri potuisse. Verum postea cum animaduerterunt hominem non esse compotem mentis, inscijsque Christianis omnia facta, petuerunt eum comprehendendi & vinciri, quod & fecere, ad auertendum utriusque populi tumultum, & ne terræ Dominus gentilis factum hoc perperam interpretaretur.

In insula Tacscima, quæ occurrat in itinere Coraiano, agit Taeni Camedoni filia, nomine MARIA, Domino terræ matrimonio iuncta, qui vxoris suæ persuasione ad cultum veri DEI se aggregauit. Multi in ea baptismi flagrant desiderio: sed quādiu inter Coraianos & Iaponios, qui adhuc arces suas in Corai obtinent, de conditionibus pacis

P 4 con-

conuentum non fuerit, nō poterit commodè eorum votis satisfieri. Etsi è primarijs iam multi salutari aqua abluti fuerint, ac bonus quidam Christianus, cum facultate Patrum vicena eorum capita hoc anno abluit. Loco concionis hoc tempore Christianis illis est virtus integritas, bonaque opera Dominæ illius loci, de qua iam diximus.

---

DE COLLEGIO NANGA-  
sachano, & Residentijs ei  
annexis.

**Q**VIA ad hunc portum Nangasachanum quotannis nauis è Cina appellit, vti scriptū est aliás, fit, vt exules omnes, & quotquot alibi sedem suam figere non possunt, perfugium ad hanc ditionē habeant. Vnde videmus quotidie magnam fieri accessionem tum ad hominum numerum aliunde ventitantium, tum etiam ad frequentiam nouorum aedificiorum, ac consequenter augescit & labor Patrum in illis instruendis. Externi, vt vident à Christianis his locis omnia teneri, & ipsi ilico aduolant ad cognoscendam Christi doctrinam, & salutifera aqua se aspergi curant. Maximum fere labore nostri habent, in eo, quod noctu diuq; ab ægris confessionis causa crebro euocentur, nō in vrbe modo, sed etiam extra illam à duabus tribus ué leucis: etsi totum ferè laborem minuat ingens illud studium curandę salutis sue, quod in his Christianis offendimus.

Confessiones hoc anno usque ad 15. Septembris in sola vrbe Nangasachana, non annumeratis Residentijs, fuere septies mille sexcentę quadraginta quatuor